



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Appendix Seu Epitome Vitæ Venerabilis Domini Antonii Ginther Decani, &
Parochi ad SS. Crucem in Biberbach.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



APPENDIX.

Seu

Epitome Vitæ

Venerabilis Domini Antonii Ginther
Decani, & Parochi ad SS. Crucem in
Biberbach.

§. I.

Parænesis ad Lectorem.

NE quæso, amice Lector fastidioso contemptu has pagellas
aversare, quibus ad calcem hujus ultimi, & posthumi ope-
ris tibi auctorem describere libuit. Si scribentis institu-
tum, scopumque penitiùs consideres, carpere, ut opinor non
poteris, quod plurimum deliberato consilio, collatisque ratio-
num momentis susceptum est. Quæris? quæ rationes impulerint, ut
hanc vivendi methodum, quem Venerabilis hujus operis Auctor te-
nuit, succincta descriptione enarrare aggrediar? paucis responsum cape.

Primò quidem, & ante omnia me commovit debitus, ac supre-
mus Divinæ Majestatis honor, quæ, cum sit principium, & finis,
fons & origo omnium bonorum, certè præcipuam gloriæ partem sibi
vendicat, quotiescunque per creaturas suas bonum aliquid, ac lauda-
bile operatur. Creaturæ omnes non nisi instrumenta sunt, utique ex
se infirma nimis & debilia, quia ad Divinæ gloriæ exaltationem nihil
valent, nisi Dei, qui principalis agens est, adjutorio excitentur. Id
expressum voluit Divina Veritas Christus disertis verbis inquitens: *Sine Jo. 15.*
me nihil potestis facere, supra quæ verba commentans Divus Augustinus:
Non ait, sine me parùm potestis facere, sed nihil potestis facere; sive ergo parùm, S. Aug. hïc.
Ginther Unus pro omnibus. liii sive

sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Illi laus, honor, & gloria.

S. Tho. Vill.
de S. Nicol.

Altera ratio & finis, qui ad hanc descriptionem impellere poterat, est pia æmulatio eorum, quos idem vitæ institutum ad eosdem labores, Apostolicos & animarum lucra adstringit: ideò enim sanctorum, iustorumque hominum gesta, & vitæ decursus nobis ante oculos ponuntur, ait Sanctus Thomas de Villanova, ut ad similes virtutum actus legentes excitentur. Quod si magnam habeat trahendi animos efficaciam exemplum eorum, quos nunquam vidimus, nunquam vidimus; quanto vehementiori stimulo trahent exempla eorum, quorum insignes res gestas, laboresque pro Deo susceptos propinquiore obtutu licuit contemplari?

Tit. 2.

Tertia, eaque meò iudicio non absurda ratio est qualis honor, & existimatio Ordinis Ecclesiastici, cuius ille, quem describo, gemma, decusque fuit. Et ut argumento utar à contrario audi, qua ratione gentium Apostolus Discipulum suum Titum commonevit: *In omnibus inquit, præbe teipsum exemplum bonorum operum, ut is, qui ex altero est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ubi signanter notare oportet verba ultima: *de nobis:* Quid enim? Si Titus perperam agat, an non in se solum linguas maledicorum acuet? An etiam aliis sequitorem famam consciscet? omninò consciscet: dicere vult Apostolus teste Ayllonio: *Mi Tite, si pravum vitæ exemplum præbeas, non de te solum, sed de omnibus doctrina Evangelica ministris sinistra, & minus honorifica opinio concipietur.* Quæ cum ita sint, & unius delictum singulis nigrum theta inurat, profectò è contrario non tam illiberalis est virtus, ut radios suos omnes in se resorbeat, & non etiam in alios, quos idem vitæ institutum decorat, quodammodò effundat.

Ayllon. hic.
num. 9.

Hæc rationum momenta mihi calamum in manus tradiderunt, quibus perspectis absit à te, prudens Lector, ut his paginis indignis, quin potius mecum deplora, quòd non frequentiores sint calami, qui res ejusmodi memorabiles, ac insignia facta colligant, sed æternæ oblivionis tenebris obrui permittant.

Et quoniam historiæ anima Veritas est, paucis percipe, quibus fontibus hæc, quæ scribo, hauserim: Hausi videlicet tum ex manuscriptis eorum, qui operæ pretium duxerunt ultimo præsertim tempore ea annotare, quæ singulariter notatu digna de illo audire, videre & comperiri licuit: tum ex vivis testimoniis eorum, qui eadem domo, mensa, ac diuturna familiaritate cum illo usi sunt. Lege, fave, & Deum lauda.

§. II.

De ejus Natalibus, & pia educatione,

ETiamsi non magni referat, prout asserit Devotissimus Ludovicus Lud. Gran, in
Granatensis, scire, quibus parentibus orti sint Dei servi, cum cœ- Vir. Avil.
lesti Patre glorientur, & nobilitatem suam non tam in progeni-
torum sanguine, quàm virtute constituent, asserente Divo Hierony- S. Hieron.
mo: *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus: Nihilominus, Epist. 14.*
quia vel patria à suis civibus, vel parentes à sua sobole laudem, com-
mendationemque contrahunt, utrosque manifestare scriptoribus usita-
tum est. Venerabilis Antonius non nobilibus quidem, sed honestis
parentibus ortum traxit Fridbergæ, oppido in limitibus Bavarix, quæ
Sueviam respicit, confito. Annus post genitam mundo salutem lu-
pra millesimum sexcentismus quinquagesimus quintus illi vitam de-
dit, & ferè unà eripuit: quippe pia Mater gravissimis partûs doloribus
ægra diu inter vitæ, mortisque confinia luctabatur: una fuit medico-
rum, una chirurgorum vox, miseram parentem non parituram, sed
perituram. Quid agit illa in periculoso rerum articulo? Anna illa, de
qua Regum facti, ut infœcunditatis maculam abstergeret, & prole gau-
deret, *Votum vovit*, se filium, si ei daretur, per omnem vitam obsequio i. Reg. I.
Divino mancipaturum: Et profuit vovisse: quippe magnum Prophe-
tam Samuelem Virum potentem verbo, & opere in lucem edidit. Ea-
dem ratione pia illa parens, desperatâ humanâ ope ad cœlestem con-
fugit; Sancto Antonio Taumaturgo prolem devovet, spondetque, si
mascula sit, suo tempore sacerdotem fore. Voti confestim damnata
est: partum feliciter enixa in sacro regenerationis latice nomen Anto-
nii illi imposuit.

Cùm Dominus Deus parentibus sobolem largitur, ait Sanctus S. Basil. regul.
Basilii, quid aliud est, nisi mollem ceram illis in manus tradit, quam disp. 5.
bonæ doctrinæ, & laudabilium morum figura excolere debent? Id
singulariter sibi dictum putans pia Antonii Mater, prolem à teneris ita
instituit, ut unâ cum ætate adolesceret in illo devotionis, & rerum sa-
crarum amor. Hac de causa per omnem vitam sæpe sæpius auditus
est dicere, se primas virtutis radices implantationi, & sollicitæ educa-
tioni suæ matris in acceptis referre.

De illius adolescentia, & Vocatione.

Postquam provehentibus annis ad litterarum studia incumbere cepit, inter illa ætatis discrimina sedula sollicitudine cavet, ne ab eo fine & scopo unquam ablueret, ad quem votò nuncupatò eum pia Mater ab infantia destinarat. Litterarum eruditione plurimos, morum candore, & innocentia ferè omnes coætaneos superavit.

Habac. I. 16.

Verum adverte vasritiem stygii Cavernionis, qui quantò candidiores reperit animas, tantò avidius exerit vim suam nocendi, affimante Propheta: *Cibus ejus electus*. Contigit aliquando, ut consodalium hortatu ad theatrum publicum circumforanei agyrtae accederet, ubi histrionicus jocolator, nescio quos ructus honestati minùs consentaneos populo applaudente effutiebatur: Risit ad hæc juvenili levitate Antonius, sed risu, qui postliminiò prolaxis lacrymis stetit. Quippe ibi confestim in ipsa conferta hominum multitudine gravi hernia percussus cum Saulo recenter converso luculenter advertit, se ad altiora, quàm has mundi immundi fabulas à Deo destinari.

Sap. 8. 1.

Mirare hic mecum, amice Lector, Providentiam Dei dispositis omnia suaviter, & perducentis ad finem fortiter: Victoriæ sperabat dæmon, si juvenilem animum hæc, quam diximus, perverione labefactaret, & hos ipsos nocendi conatus Providissima Dei Bonitas in suam gloriam, & animarum salutem convertit, ita ut hanc in rem quàm optimè usurpari possint verba Sancti Cardinalis Damiani: *Inde adversarius noster obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ*. Hæc Divinæ dexteræ percussio cautum fecit Antonium, & clamare docuit cum Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* Hæc animum illius ab omni immunditiæ fuce ita abalienavit, ut per omnem vitam perennaret constans castimonie exemplar. Quod mirabilis est, hæc ipsa afflicti corporis calamitas fax illi, & lucerna fuit ad agnoscendas vitæ sèmitas, ad quas Dei vocantis destinatione fuit electus. Sæpe sapiùs anhelabat sacros Asceteriorum recessus, & impetrare admissionem præ mille aliis poterat, quem pietas, & studiorum eruditio præ mille aliis commendabat; sed aditum illi præclausit hæc corporis afflictio. Suscepto autem Sacerdotio, postquam periculosam hanc sarcinam undenis omninò annis circumtulit, ecce! à Taumaturgica cruce Biberbacensi prodigiòsè liberatus, plenam valetudinem consecutus est, idèò multoties dicere auditus, se habere signum prope modum evidens, quòd Dominus Deus ex immenso suæ Bonitatis abyfso se ad hanc, cui insudabat, vineam delegerit.

Card. Dam.
serm. 2. de S.
Vital. Mart

Act. 9. v. 6

§. IV.

De ædificatione Ecclesiæ Parochialis in Biberbach:
& itinere Romano.

Biberbachium celebris Dynastia ad Illustrissimos Dominos Fuggeros pertinens duobus milliariibus Augustâ Vindellicorum abjacet: Huc circa annum post reparatam salutem millesimum quingentesimum vigesimum quintum sæviente per vicinam Wirtembergiam leonoelastrium furere per Catholicum aurigam delata, & in veteri Ecclesiâ Parochiali collocata est perelegans Christi Crucifixi imago, quæ primitus hæc à fidelibus religiosè culta, postliminiò pro calamitosa temporum varietate, bellò præsertim Suevicò extra templum ejecta, illusa, & conculcata, denique sub tectum templi reposita est, ubi per triginta novem annos inter pulveres, & aranearum texturas ignota delituit.

Elegit itaque Deus hunc suum Famulum, ut lucernam istam sub modio absconditam in lucem protraheret: protraxit felici auspicio, & publico cultui denuò exposuit. Et ecce: crescebat indies multitudo fidelium huc piè confluentium, & à crucifixo gratiarum largitore insignia beneficia reportantium. Quare cum successu temporis capiendo populi confluxui vetus Ecclesiâ par haud esset, ille novam meditari cepit, id sibi dictum ratus, quod olim Salomoni: *Elegit te Dominus, ut ædificares domum sanctuarii. confortare & perfice.* Paralip. 28. 10.

Verùm ubi sumptus? ubi subsidia pecuniaria? *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare non priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum?* Respondeo: Non in humanis auxiliis, non in auro, argentoque, sed in Dei adjutorio spem omnem collocabat, quod & tam luculento eventu sibi adesse expertus est, ut, quamvis initio ultra sexcentos florenos in arario inventi non sint, nihilominus grandem illam fabricam ultra viginti millium florenorum impensis constantem, à fundamentis magnificè excitatam intra triennium feliciter ad finem perduxerit. Insolita prorsus eluxio Dei Providentia in construendo hoc opere, quod pro arario non aliud habuit, nisi fidelium liberalitatem. Sæpe cum ad ultimum ferè obolum exhaustâ crumenâ metuebatur totum opus sufflaminatum iri, inopinatò adfuère, qui ope & operâ, consilio & labore machinam promovebant, donec omnibus numeris absoluta unâ cum præalta turri sursùm consurrexerit. Quapropter meritò supra portam templi aureis, ac trabalibùs litteris inscriptum est illud Psalmi: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Psal. 117. Inter

Inter omnes tamen benefactores, qui ad extruendam domum Domini liberali manu concurrerant, liberalitatis palmam ferè omnibus eripuit Venerabilis Antonius: vix vitæ necessariis sibi relictis tum è patrimonialibus, tum è parsimonialibus bonis successivè ultra quatuor florenorum millia impendit. Taceo immodicos labores, hortationes, preces, ac diurnam nocturnamque sollicitudinem, qua laborantium operas excitabat, consilio, ope, & præsidio adjuvabat.

Ad finem perducto externo opere de interiori ornatu sollicitudo erat: Et ecce! generosum illius consilium! operoso itinere Romam perguit, ubi aliquandiu inter cultum sacrorum locorum piè versatus, & paulò post ab Eminentissimo Cardinale Mareschoto in sacellanum domesticum cooptatus, tandem hujus sui Mœcenatis operâ ad conspectum, affatùmque Romani Pontificis tum temporis Innocentii XI. admittitur. Illi Sacrosanctæ Crucis Biberbacensis iconem tradit, ejusque ortum, ac progressum nec non prodigiosam beneficentiam compendiosa enarratione describit, tam auspiciato successu, ut quinque Sanctorum Martyrum corpora, illustre illud Ecclesiæ Biberbacensis ornamentum dono acceperit. Acres erant Antonio spiritus, & amœna conversandi ratio, ita ut facilè eorum corda, affectusque suffurari calleret, quibuscum familiariter agebat. Quare prædictus Eminentissimus Cardinalis eum in Italia detinere viribus omnibus allaborabat, additis magni nominis promissis. Sed in Germaniam unâ cum sacro suo thesauro festinabat ille redire, qui non suum, sed cruciatum honorem, non se, sed animas quæritabat. Hic quadraginta sex annos inter labores Apostolicos ita exegit, ut revera frequenter repetere posset illud Davidicum: *Tribulationem & dolorem inveni, laborem, & sudorem, tædia & angustias expertus sum.*

Psal. 114.

§. V.

De ejus studio, & scientia Sacræ scripturæ.

REgius Psaltes, dum virum beatum, felicemque describit, qui in consilio impiorum non abiit, inter cæteras felicitates primariò ad appromittit, quòd erit *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Ut similitudinem ritè capias, intuere arborem decurrentibus rivulis constam. En! ut salubri humore referta, à terra humilitatâ virtutem ac vividum vigorem insugit: Floribus dives est, fructibus opulenta, frondibus gravida, & supra cæteras arbores procerâ. Talis erit homo beatus, ait Psalmographus teste Damasceno, qui sacræ scripturæ succo irrigatus sedulo Divinos illos sensus imbibit: Audiamus

Psal. 1.

diamus Sancti Damasceni verba: *Quemadmodum arbor plantata secus de-* S. Jo. Damas.
curfus aquarum, sic anima Scripturâ Divinâ irrigata impinguatur, & maturum l. 4. de fide
fructum affert -- & semper virentibus foliis, id est placentibus Deo virtutibus cap. 18.
decoratur.

Hinc nulla ratione mirum est, quòd homines sancti sacra Biblio-
 rum volumina ferè nunquam è manibus posuerint: perdius, & per-
 nox erat eorum labor in his Divini Spiritûs rivulis deliciari.

Talis erat Sanctus Dominicus, qui crebrò tam vetus, quàm no-
 vum Testamentum versabat, Fratribus suis sine intermissione incul-
 cans, ut semper studerent Scripturis. Talis erat Sanctus Vincentius
 Ferrerius, qui totam ferè Europam peragrans, & centies millenâs ho-
 minum conversionibus illustris nihil præter Breviarium, & Sacra Biblia
 circumferabat ad concionandum. Talis erat Divus Bernhardus, in Sa-
 cræ Scripturæ lectionibus aded assiduus, ut quidquid demum loqueret-
 tur, penè verbis Scripturæ loqueretur. Tales denique erant Sanctus
 Jordanes, Sanctus Edmundus, Sanctus Carolus Borromæus, Sanctus
 Thomas Aquinas, alique, qui sacros Codices non aliter, quàm Philo-
 sophus Aristotelem, Medicus Galenum, Orator Ciceronem, Jurispe-
 ritus Justinianum assiduo manibus terebant, & ex his prodigiosos suos
 virtutum actus hauriebant.

Non segnior fuit in Scripturarum lectione pius iste Dei Famulus,
 de quo nobis sermo est; à primis sacerdotii initiis incessabili labore
 ad Sacros Codices incubuit, eo fructu, & successu, ut ferè omnes sa-
 cras Litteras memoriâ teneret. Ejus quatuor libri, quos ad magnam
 animarum utilitatem in lucem edidit, pleni sunt Scripturis, ita ut vix
 linea sit, sine Scripturæ elucidatione: quin imò stylum Scripturisti-
 cum ita imbibit, ut, ubi etiam ex suo loquitur, verbis, & stylo scri-
 pturæ loquatur. Ea sedulitate in sacro volumine erat versatus, ut,
 siquem textum indagaret, confestim digitò tangeret, & sine foliorum
 volutione prima ferè vice aperiret. In quotidiana conversandi ratione
 auditu planè jucundum, & mirabile erat, quòd nulla propemodum
 discurrendi materia, nulla casuum varietas in medium proferri potu-
 erit, ubi non argumentum quoddam, aut figuram noverat interferere
 ex Scripturis. Quo facto verissimum esse illud Divi Chrysofomi S. Chrysof.
 comprobavit: *Sive de Rege loqui voles: sive de militibus, sive de re familiari,* hom. 1. de
sive de publicis, civilibusque negotiis, videbis in Scripturis horum omnium magnam David &
copiam. Hujusmodi commemorationes maximam asserunt utilitatem. Saul,

§. VI.

De Verbi Divini Prædicatione, & hausto exinde fructu.

Eocl. 27.

S. Bernh. hic.

Sacrarum Litterarum notitia erat armamentarium, ex quo sua tela contra vitia, & scutum pro virtutibus deprompsit. Monet autem Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici: *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol.* Si quæras, quæ convenientia sit hominis sancti cum sole, percipe responsum Melliflui Bernardi: Sicut sol, inquit, non solum lucem, sed & fervorem diffundit, ita sacrum verbi Divini Præconem non solum scientiâ lucere, sed & spiritûs ardore effervescente oportet. Cætera sidera lucent tantum absque ardore, sed quisquis populos erudit, solem imitetur, & scientiarum splendorem cum ardenti zelo jungat necesse est.

Ita planè utràque dote exquisitè pollebat noster sacer Orator: de sacro suggestu dicens non verborum facundo ornatu aures demulcebat: sed seria, acri, & ad majestatem composita oratione ita suavitate dicendi cum austeritate attemperavit, ut ex verbis & sententiis singularis fervor eluceret, & audientium animos in eos plerumque affectus flecteret, quos sibi vel in odium scelerum, vel in virtutis amorem pro scopo præfixit. Ita factum est sæpissimè, ut ad finem concionis oculi maderent fetibus, & audita suspiria testarentur, audientium animos plenè in sententiam dicentis ivisse.

Psal. 28.

Lorin. hic.

Regius Propheta David de voce Domini, per quam verbum Dei intelligere juvat, miram enuntiat sententiam: *Vox Domini præparavit cervos.* Quid dicere vult coronatus Psalter? Responder Vatablus, eum alludere ad fulmina & tonitrua, quæ suo fragore, & horribili luce cervam ad partum disponunt: habet hoc ex natura sua meticulousum animal, ut foetum jamjam maturum vi reprimat, & partum differat; quod si fulgura crebescant, & tonitrua aërem pervadant, cedit naturæ, & sobolem effundit. Peccata sæpenumerò infelix ejusmodi soboles sunt, cohibentur, celantur, teguntur. Quid factu opus est? tonitruum est; non rarè unicum Verbi Divini tonitruum partum promovit, ait Lorinus: *Potentes & præfractos, qui leniori doctrina non acquiescunt, terribiles ad penitentiam converti.*

Factum est aliquando, ut ad concionem Venerabilis Antonii Officialis bellicus, qui sub Lotharingo Duce stipendia fecit, accederet magis curiositate, quam pietate illectus: Audiit, & obstupuit fervorem detonantis, mox tangi se intimè, & saxeam cor, quod diuturno tempo-

tempore inter turpissima scelera obduruit, emolliri sensit. Finito sermone sacrum Ecclesiastem è vestigio sequitur, in genua provolvitur, sauciam conscientiam aperit, & turpi prostibulo, quod integro secum sexennio circumduxerat, abire iussit Sacrosanctæ Cruci in suæ liberationis gratum mnemosynon pretiosum unionem dono reliquit.

Sed quid hanc peccatricis animæ conversionem præ cæteris commemoro, quæ inter sexcentas una est? Nihil propemodum illi frequentius evenire solebat, quàm, postquam è sacro pulpito singulari prorsus ardore dixerat, ingens pœnitentium multitudo ad sacrum ejus tribunal conflueret, & ingentem fructum ex Verbi Divini declamatione haustum jugi pœnitentis animi dolore testaretur.

§. VII.

De zelo animarum in excipiendis confessionibus.

Sacer Verbi Divini Orator in sacro pulpito leonis, in sacro tribunali agni instar se gerat necesse est: Ibi contra vitia effervesce, hinc mansuescere oportet: ibi locum habet illud Apostoli *Increpa*, hinc *observa*, ibi *importunè* hinc *opportunè*. Secus si faciat, id ipsum evenire solet, quod olim obstetrici Zaræ contigisse sacræ narrat historia. Illa Zaræ eductum ex utero materno brachium vinculo occinens strinxit, unde infantulus manum retrahens primogenituram perdidit. Peccator ille (ita alloquitur Doctissimus Speranza confessorium) mali operis manum educit, tu rigidè stringis: Ille retrahit manum, obmutescit, dimidiat confessionem, perdit primogenituram. 2. Tim. 4.
Gen. 38.
Speranz.
punct. 25.

Verùm absit indiscretus rigor à Venerabili nostro Antonio: noverat sauciæ mentis vulnera blanda mansuetudine oblinire: noverat suavi alloquio arcana animorum expiscari: audiebat omnes patienter, & tum primùm, cum virus omne evomitum est, malo medicinam ferebat. Paucos dimisit absque seria cordis contritione, alios leni assatu, alios emphatica hortatione ad meliora commovit. Hinc tantum confitentium affluxum ad sese attraxit, ut qui ad Sacrosanctam Crucem peregrinatum venerant, jam non alteri sacerdotum, sed illi soli conscientiæ noxas cuperent aperire. Primis præsertim temporibus, ubi alios sacerdotes, quos capellanos vocant, ad manus nondum habuit, sæpe integros dies, & dimidiâs noctes auditione pœnitentium contumpfit, & quod mirum est, hos Apostolicos labores per sex annos supra quadraginta eo fervore continuavit, ut, si superficialiter tantum computus fiat, intra horum annorum spatium facile ultra

Ginther Unus pro omnibus.

K.kkk

qua-

quater, aut quinquies centena confitentium millia eum constet audisse hunc decumanum laborem illi præ cæteris æstimare noverint, qui sacri tribunalis molestias ab experientia didicerunt.

Illud etiam frequenter observatum est, quod nunquam fuerit hilarior, quam quò fatigatior: Cum caput casuum varietate lassatum, & stomachus diuturnis locutionibus exhaustus vix sibi consistenter, tum ille præ lætitiæ cordis gestire visus, & sæpe ad suos sacerdotes coadiutores dicere auditus est: Laboremus Domini mei, & misellas has animas è suis sordibus eruamus!

Et verò singularem prorsus virtutem, ac efficaciam ad commovendos peccatorum animos Dominus Deus illi contulit: uno oculorum obtutu, una voce à vitiis absteruit, ad virtutem traxit. Meminisse hæc juvat illius sceminae, quæ sicut omnem ætatem inter scelera exegit, ita ad mortis confinia adducta nihil minùs, quam sacram animi expiationem cogitabat. Aderant sacerdotes, hortabantur, rogabant, minas, ac preces ingeminabant; sed frustraneo labore: quippe in silicem obduruit ægra, & obversa ad parietem facie illorum pro conatus frustrabat. Nuntiatum id est Domino Decano, qui è vestigio adest, blandè alloquitur decumbentem, suæ animæ, & imminentis æternitatis commonet: Verùm ægra iterum averso ad parietem vultu nec responsum referre. Hæsit ad hæc, & obstupuit Dei famulus: Mox capillitio apprehensam objurgare, vultumque ad se retorquere cœpit, austera voce inquires: *Ingrata creatura, non vis audire ultima Dei miserentis monita?* Mirum dictu! illa tremere, fixis oculis intueri, quid factu opus esset interrogare, demum ad omnia se paratam offerre. Persoluta exomologesi modico post tempore animam feliciter, uti sperandum est, Deo reddidit, ante mortem facta, se unica voce, & aspectu Domini Decani vehementius, quam prolixis aliorum monitis, & hortationibus fuisse commotam.

§. VIII.

De Studio Orationis.

HÆ dotes, quas enumeravimus, non natura auspice, sed cælo largitore proveniunt, non de terra, sed de sursum sunt. Imbecilles nimium sunt hominum vires, nisi superna virtute roborentur. Sanctus Rex David quidquid negotiorum arduum aggressus est, non nisi præmissis in cælum suspiriis, precibusque aggressus est. Quid mirum, si difficultates omnes superavit, hostes prostravit, res maximi

momenti feliciter composuit? Audiamus Sanctum Ambrosium: *Nunquam David, nisi consulto Deo bellum adversus est, idè in omnibus victor usque ad summam senectam evasit.* S. Ambros. l. off. 55.

De Venerabili nostro Antonio dicere fas est, quòd omnem vitam inter orationis frequentiam peregerit: Summo manè, cum nondum sol cœlum conscenderat, jam animus ille ad cœlites elevabat, & pius aliquod meditando mysterium mentem ad quosvis diei eventus præmuniebat. Habebat in interiori cubiculo Christi Crucifixi Imaginem ad formam Taumaturgicæ Crucis Biberbacensis exsculptam, coram qua humi observatæ sunt duæ scrobes in asserè ad formam justì pedis excavatæ, quæ nobis indicio sunt, quòd hîc plerumque stando, ut somni importunitatem vinceret, sua suspiria, suas vigilias, suas meditationes frequentavit.

Ait Sanctus Augustinus: *Crux, ubi fixa sunt membra patientis, facta est cathedra Magistri docentis.* Non igitur mirum, si hoc Magistro, hoc instructore ille tam insignem rerum cœlestium noticiam, & præsertim tenerrimos Dominicæ Passionis affectus adeptus sit, quibus pleni sunt illius libri, pleni olim erant discursus. S. Aug. apud Speranz. de Pass. Dom. punct. 27.

Reliquam diem omnem orationibus, quas jaculatorias vocamus, frequentissimè interpolabat, & quemadmodum Martha inter culinæ negotia, mulier Evangelica in medio turbæ, Anna Samuelis Mater coram Altari, Paulus in carcere, Ezechias in lecto, Jonas in ventre ceti, Moyses in mari orârunt; ita ille inter quævis negotia collecta mente cum Deo colloquebatur, ad amissim observans illud Sancti Chrysostomi monitum: *Non sinamus horam elabi, in qua mentem non extollamus.* S. Chrys. apud eundem p. 58.

Hoc orationis donum, & hausta exinde charismata sicut latere alios, quibuscum versabatur, non poterant; ita magnam illi existimationem apud omnes conciliabant. Frequens erat eorum numerus, qui ejus ad Deum intercessionibus enixè implorabant, & reipsa efficaciam earum experti sunt, quorum quatuor præcipuè hîc testes adducere expedit.

Primus est Illustrissimus quidam S. R. J. Comes, qui integro septenniò infœcundò conjugio victitans ad Sacrosanctam Crucem in Biberbach peregrinatum veniens rogabat Dei famulum, ut suis ipsè precum suffragiis sibi prolem impetraret, non defuturum se, quin sacrosanctæ Cruci munificam gratitudinem esset exhibiturus: quid ille? *Ne diffidat, inquit, Excellentia Vestra, intra unius anni spatium mascula prole lacabitur.* Et respondit vaticinio eventus: in cujus rei testimonium extat Biberbachii pretiosa casula auro largiter intertexta, quam memoratus Illustrissimus Comes in grati animi tesseram huc dono consignavit.

Alter est Parochorum quidam, qui propter insolitam facium raucedinem articulatam vocem, ac omnem loquendi facultatem diuturno tempore amisit. Biberbachium veniens opem & auxilium ex Venerabili Antonio quarit: *Eat, inquit ille, & Sacrum peragat coram benefica Crucifixi effigie, quod si confidenter fecerit, mali remedium manifeste experietur.* Dictum, factum: recuperavit ille sonoram vocem ad sacrum prædicationis munus, aliasque Parochorum functiones denuò factus idoneus.

Tertius testis est persona quædam maleficiis gravata, quæ malorum spirituum, quos volatiles vocant, incurfibus mirum in modum infestata, vice quadam ex vehementia dolorum vix non ad insaniam redigebatur: Auxilio quidem venerunt juvenes quidam sacerdotes, qui precum, & sacrorum verborum adminiculò compescere paroxysmum nitebantur, sed frustraneo conatu: illa sperere, oculos circum circa *Manh. 17. 20.* volvere, ac ejulare pergebat, quia *hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.* Cùm ecce! adventans Dominus Decanus afflictæ mulieri manum super caput imponens his verbis: *Sacerdos Dei tibi manum imponit,* & parùm submissa voce orans confestim miseram ad animi serenitatem non sine magna adstantium admiratione reduxit.

Quartus denique hujus rei testis non ex hac vitæ mortalitate, sed ex animarum immortalium numero adducendus est, qui Venerabilis Antonii preces ac suffragia efflictim rogitabat: Cùm ille quondam, nescio ejus negotii causa, sub diluculante vespere domum rediret, ecce! sub ipsò postium limine spectandum se præbuit vivum, non nisi ossibus constans scheledon. Cohorruit totis artubus Vir Dei, & unum aut alterum suspirium sibi audire visus, spiritui in pace abire iusto sacram benedictionem impertiit, additis promissis, se sequenti die pro hac anima Incruentum altaris sacrificium litaturum. Disparuit visum, nec deinceps apparuit, uti sperare est, ope, & precibus promissis è plæcularibus flammis ad beatam æternitatem translatum.

§. IX.

De ejus Humilitate.

Bern. serm. 3 in Canr.
Quantò in alienis oculis honoratior, tantò sibi erat despectior, ut merito usurpari hinc valeat Mellistui Bernardi effatum: *Magna & rara virtus profectò est, ut magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus te solum latere sanctitatem, mirabilem apparere, & contemptibilem te reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Verba hæc Divi Bernardi vivi colores sunt, quibus Venerabilem nostrum Antonium depin-

depinxisse videtur. *Magna*, quis inficias eat, *operatus est*, uti ex præcedentibus abundè constat, & tamen magnum se nesciit.

Si quando interdum contigit, ut inter familiares discursus inexpectatus quidam encomiastes assurgeret, qui ei de præclare gestis, de susceptata à fundamentis magnifica Ecclesia, de infatigabili animarum zelo laudem diceret, auditu planè visûque jucundum erat, quanta promptitudine proruperit in illud Davidicum: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, quem ille Versiculum ita venerabatur, ut psallendo, aut recitando horas Canonicas aperto semper capite enuntiavit: quasi fateri vellet: Magne Deus! Tu supremus artifex es, ego imbecille instrumentum: Quidquid à me boni fit, te auctore fit: Et vel ex eo tibi gloriæ incrementum accrescit, quòd ad tuum honorem infirmam creaturam exhibere, & usurpare velis!

Ex hac animi demissione oriebatur ingens rerum externarum despectus, ut ne tangi quidem iis rebus videretur, quas alii laboriosè depereunt: Miratus est orbis superioribus sæculis Gregorium Magnum, qui in solitudines & eremos sese abstruxit, ne ad Pontificatus apicem eveheretur: Miratus est Ambrosium, qui Mediolano profugus abiit, ne Episcopali thiarâ coronaretur: Miratus est Chrysostomum, qui peregrinus & exul in alienas terras profugit, ne ad clavum Ecclesiastici regiminis extolleretur: Miratus est alios, qui sublimes dignitatum honores cum infima sorte, mundi applausus cum contemptu, divitiarum affluxus cum voluntaria egestate permutarunt: Sed & miretur Venerabilem Antonium, qui oblata Romæ honorum fastigia, & in patria nostra opulentas parœcias, insignes Ecclesiarum collegiatarum Canonicatus tanta animi constantia, & firmitate rejecit, quanta alii solent affectare. In aulam Magni cujusdam Principis vocatus, & grandi honore, ac pinguibus præbendis cumulandus illud Divi Apostoli frequenter repetiit: *Christo confixus sum Cruci*, quasi dicere vellet, se charitatis vinculis amantissimæ Cruci suæ indissolubiliter affixum esse, & huic ad extremum usque halitum constanter deserviturum. Gal. 2, 19;

Alteram verè humilitatis dotem Mellifluus Bernardus his verbis dilaudat: *Manifestam omnibus te solum latere sanctitatem*. Hæc enim verò S. Bern. ubi sanctorum hominum assuetudo est, & prærogativa, quanto aliis majores apparent, tanto magis sibi et ipsi vilescunt. Si causam hujus rei quæras audi Dòctissimum Abbatem Rupertum: *Magnum*, inquit, Rupert, Abb. *ac præclarum speculum humilitas*: En! speculum vocat humilitatem: quem admodum enim hæc speculi proprietas est, ut quidquid extra ex parte dextra consistit, intus ex parte sinistra præsentet; ita demissæ ejusmodi mentes generosos virtutum suarum actus ut sinistros, & de-

fectuosos intuentur: O quoties hic Dei servus, dum de seipso loquebatur, indignum se sacerdotem, servum Dei inutilem nuncupare est solitus, quin imò publico typo non una tantummodò vice sese subscripsit: *Peccatorum miserrimus*. Tu, quisquis ista legis, cogita, quid de te sentire debeas, Deumque audacter precare, ut ejusmodi peccatoribus orbis repleatur universus.

§. X.

De austerâ illius Pœnitentiâ.

Priusquàm vitæ austeritatem, quam tenuit, commemorem, interrogare libet, quid ergo Vir Dei in se repererit ad eò culpabile, quod prolixa, severâque castigatione expiatum ibat? Si unquam alias, certè ad hanc interrogationem ignorantem me profiteor: illi omnes, qui per viginti, aut triginta annorum familiaritatem accurata observatione dicta & facta illius notaverant, testimonium perhibere possunt, quòd nullo non tempore hostili aversione persecutus sit peccata omnia, eaque præ cæteris maximè, quæ animi integritati, castimoniamque reluctantur. Vis aliqua hujus rei exempla?

Cùm anno salutis millesimo, sexcentesimo, octogesimo quinto cum geminis sacerdotibus, viâ comitibus Romam peregrinatus Florentiam nobilissimam Italiæ urbem pertransiret, inter alia urbis memorabilia in aula magni Hetruriæ Ducis vidit caveas, ac clathros, quibus ferocissima omnis generis animalia asservabantur: conspexit pardos, leones, urfos & quidquid ferox inter sylvestres Lybiæ recessus natura enutriit. Atece! dum redeunt, in ipsò atrii porticu impudens quædam Megæra hærebat, quæ non solum habitu & gestu, sed & procaci alloquio lasciviam spirabat. Quid ad hæc Antonius? ad viâ comites conversus verecundum inter ruborem ajebat: Fugite focii! hæc bellua belluis omnibus, quas vidimus, atrocior est.

Domi, quantum fieri poterat, fugit blandas has belluas, earumque cohabitationem: Nunquam eas aut suæ mensæ adhibuit, aut eodem hypocaufto usus est. Quin etiam in ultima lethali ægritudine earum obsequia, quantum poterat, devitabat, & cum virium imbecillitas exigeret, à viris, ac præcipuè à suis sacerdotibus petiit adjuvari. Verbo: in suis actionibus modestissimus, in conversatione innocentissimus fuit, ut non minus hac morum honestate, quam efficaci prædicatione animos traheret ad virtutis amorem. Olim in veteri testamento inter alias cæremonias requirebat Divinus Legislator, ut in

fimbria

fimbria vestis sacerdotalis unà cum tintinnabulis mala punica annecterentur: per tintinnabula intelligi vocem prædicationis frequens sanctorum Patrum expositio declarat: sed quid per mala punica significari vult? Respondet Doctissimus Rupertus, esse verecundiæ symbolum: *Nam verecundia* (addo ego morum modestia, & vitæ innocentia) *sub silentio non minus adificat, quam sermo prædicationis.* Rupert. 1. 3. in Cant.

Tametsi autem omnis conversandi, vivendique ratio in Venerabili Antonio innocens esset, & sine nævo, nihilominus austeram semper, talemque tenuit vitæ methodum, quæ credi poterat ad expiationem nescio quantum criminum fuisse suscepta. Taceo moderatam in cibo & potu frugalitatem, taceo repetita jejunia, taceo protractas in seram noctem vigiliæ, taceo frequentatas stando, aut flectendo contemplationes: Illam verò piam sævitiem tacere minimè possum, quam nobis prodiderunt reperta post obitum instrumenta, videlicet cingulum aculeis horridum, flagellum, ac catena ferrea usu benè attrita, quæ testes erant luculenti, ac recentes, quòd innocens corpusculum Apostolicis animarum laboribus, & diuturnis ægritudinibus exhaustum, etiam tempore jam canæ, infirmæque senectutis horrendis verberationibus dilaniârit: Erat inter domesticos non nemo, qui aliquando strepitum catenæ ferreæ audierat, dum ille ante nocturnam quietem in dorsum inclementer sæviebat: Altera die facta desuper mentione subridens dissimulabat omnia, inquit: Sileret hac de re, non nisi aurium fuisse deceptionem. Alia vice, cum in Ecclesiæ sacristia quædam illi litteræ è manibus exciderant, confestim quidem inclinavit se delapsum papyrus humi sublaturus, sed ecce! præterquam, quòd ad terram usque pertingere non poterat, toto vultu insolito rubore ardere cœpit, luculento adstantibus argumento, quòd ab acuminoso lumborum cingulo impediretur, dum ex inclinatione corporis non sine enormi dolorum augmento altius sese aculei in carnem immergebant.

Reminiscor hinc Patriarchæ Moysis, qui à Domino Deo ad visum Rubi vocatus iussus est calcementa de pedibus solvere. Exod. 33. v. 5. Supra quem locum commentans Theodoretus, terram illam ait fuisse maxime senticosam, plenam vepribus & spinis: Accedens igitur Moyses ad Deum in rubo delitescens sentire debebat veprium punctiones, præcipiente Domino, uti loquitur Theodoretus: *Gradere nudis pedibus ad me per spinas.* Theodoret. q. 7. in Exod. S. Gregor. M. 1. 28. Mor. c. 2. Cornel. à Lap. hic. Per rubum ardentem Sanctus Gregorius Magnus Christum Dominum, & hunc Crucifixum præsignari docet: Cui consonat Cornelius à Lapide: *Verbum Dei in rubo, Verbum Dei in cruce.* Quemadmodum igitur Moyses ad rubum accedere non poterat, nisi spinarum aculeos per sentiret, ita Venerabilis noster Antonius ad suam Crucifixi imaginem

ginem Incruentam Hostiam oblaturus accedere volebat, nisi aculeorum doloribus carnem affligeret, & hoc ipso austeritatis genere se redderet Divinò alloquiò digniorem.

§. XI.

De ejus Mansuetudine in injuriis.

Parùm facit, quisquis externa solùm afflictatione carnem coercet, nisi etiam internas animi passiones frænare, iræ vehementiam reprimere, ac rationis dominio subicere satagat. Hæc victoriã tantò difficilior est, quò hostis domesticus, & nobis congenitus pernaciosior. Dic quo tempore gloriosior erat David, an dum Goliathum debellavit, aut dum Sauli insensissimo hosti pepercit? Vicit quidem, stravit, expugnavit gigantem: Laudo, sed nonne fortior est, qui ipsum Davidem vincere noverit? Non dubito: igitur fortior erat David, dum à cæde Saulis abstinuit, ait Sanctus Chrysostomus, quàm gigantem prostravit, quia tunc se ipsum victorem gigantis divicit.

S. Chrysof.
apud Speranz.
p. 110.

Perspiciamus modò, quàm sublimi perfectionis gradu Venerabilis noster Antonius plenum passionum suarum dominium semper tenuerit. Etenim quod de Olympi vertice dicitur, qui super omnem nubium turbinem excelsior continuò serena cœli facie fruitur; id ipsum affirmare de illo licet, qui nullo aut calamitoso eventu, aut malevolorum nequitia, aut injuriarum improbitate ex æquanimi mentis statu dejici, vel in transversum agi poterat. Ad particularia descendamus.

Cùm anno salutis supra millesimum septingentesimò quartò Calorum exercitus totam, qua latè patet, Sueviam, grassationibus & depredationibus vastaret, hostilibus copiis ad Lyci confinia delatis periculum erat, ne annona frumentaria in Episcopali horreo Biberbachii copiosè asservata in hostium prædam cederet: quare extrema necessitate, & rerum indigentia compulsus suas sibi scaphas frumenti pro annua sustentatione assignatas providè, ac maturè selegit. Id indignè ferens officialis quidam laicus in optimum Virum palmaribus injuriis invectus non solùm raptorem, impostorem, spoliatorem & quidquid iræ imperus suggererat, vocitabat, sed & bilem omnem exquisita inurbanitate in eum effudit. Et verò consultè ac prudenter egisse Dominum Antonium effectus comprobavit; quippe vix elapso biduo ingruentibus hostium turmis res frumentaria omnis direpta, evacuata est. Indignari igitur poterat importuno improperatori, nisi dudum didicisset injurias benefactis compensare: Quid expectas? Audi, & mirare: paucis post diebus huic ipsi suo convitiatori litteras officiosa humanitate plenas, & insuper gallum Indicum, qui in tumultuosa bellorum tempe-

tempestate unicus ei supererat, dono misit, rogans, ne sibi porro indignari, & quod deliquerit, in bona pace remittere dignetur. O nobilem sanè, & sui ipsius victricem animum! nonne hic locum habet illud Divi Paulini: *In Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium?*

S. Paulin. epist.
2. de perfe&
Christian.

Nolim hic producta narratione recensere quantas contradictiones, sannasque decoxerit, dum præter mentem, suasionemque aliorum Ecclesiam funditus extruere cœperat: in ærario, ut supra insinuatum est, vix vigesima, aut trigesima pars sumptuum erat recondita; igitur non deerant aliqui, qui ædificanti illudebant: *Hic homo cœpit ædificare. & non potuit consummare.* Quas ille oppositiones invicta animi constantia elusit, identidem repetens illud: *Dominus providebit.*

Luc. 14. 30.

Quæris fortasse, qua arte & remedio animum in æquali tranquillitate contra quoscunque sinistros casus noverit obfirmare? Respondeo, inter alia remedia hoc illi solenne fuit: habebat elegantissimas omnis generis gnomes sive ex sacris codicibus, sive ex Veterum oraculis depromptas, quas mirum in modum cuivis eventui callebat proportionare. Erudita id genus proverbia tabulato sui cubiculi majoribus litteris inscribere, & cum sinistra animi affectionem exoriri adverteret, sæpe sæpius intueri solebat, ut ejusmodi intuitu quasi freno exorbitantes animi motus compesceret. Ita pro varietate temporum legere erat: *Nemo nocet nisi sibi ipsi. Si me persecuti sunt, & vos persequantur, aut aliæ hujusmodi sententiæ casuum, temporisque vicissitudini accommodatæ.*

§. XII.

De amore in SS. Eucharistiam.

SAEROSANCTA Passionis, & Eucharistiæ Mysteria, uti nemini dubium est, maximam inter se tenent affinitatem: Cùm enim in cruento crucis Sacrificio idem ipse Dei Filius oblatus sit, qui per incruentum altaris Sacrificium quotidie in ara immolatur, rectè Ecclesia consuetà illa oratione testatur, quòd Christus Dominus nobis sub Sacramento mirabili Passionis suæ memoriæ reliquerit. Sicut itaque hic Dei Famulus singulari prorsus lumine illustratus fuit ad perscrutanda Dominicæ Passionis mysteria, prout ejus scripta luculenter comprobant: ita non minori agnitione, affectuque ferebatur in prodigium prodigiorum maximum, idque tantò magis, quòd prioris illius mysterii tantum habuerit vivam fidem, posterioris verò etiam gustum, & experientiam. Sensit cibi hujus supernaturalis dulcedinem ea affectuum teneritudine, ut animi exuberantis delitiæ indicis etiam externis se proderent, &

Ecl. in orat.
Fest. corp.
Christ.

Ginther Unus pro omnibus.

LIII

Repe-

sæpenumerò inter sacrosancta altaris sacrificia uberes lacrymæ non sine adstantium admiratione, teneroque pietatis sensu defluerent.

Vulgare fert adagium, quòd anima amans plus ibi sit ubi amat, quàm ubi animat, id est, memoria & intellectus, voluntas & animi motus omnes sine intermissione illuc collimant, ubi objectum amatum detinetur: id quod Sacrum eloquium illis verbis insinuat: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Idcirco Sponsa illa in carnis incessabili labore diu ac noctu, manè & vesperè erat occupata, quarens, quem diligebat anima ejus.

Luc. 12. 34.

Ejusmodi diligens, & dilecta sponsa planè fuit anima Venerabilis Antonii: Christum Eucharisticum iteratis vicibus per diem colebat, frequentatis genuflexionibus venerabatur, amorosò alloquò salutabat. In cubiculo suo mensulam, ubi studiis vacabat, ita disposuit, ut quavis solares radii scribenti legentique perquam essent molesti, nihilominus faciem semper ad Ecclesiam obvertere, & illuc directè ad dilectum suum in sacrario latitantem sua suspiria emittere posset.

Verùm pauca hæc sunt, majora percipe: obsequia externa compropotionantur intensiori amoris interni, & tantò aliquis ad extra erit obsequiosior, quòd vehementior intrà urget stimulus dilectionis. Hinc usque adeò demum excrefcere potest amoris vis, ut amans neglecto seipso jam solum consideret amatum, in ejus honorem, utilitatemque se totum, insuper habito etiam suo commodo, aut detrimento, impendat: Ita Apostolus Paulus de seipso fatetur: *Vivo ego non jam ego, sed vivò in me Christus.* Id est, prout verba hæc declarat Mellifluus Bernardus: *Ad alia quidem omnia mortuus sum, mea pericula, vitæ incommoda, aut ipsa mortis discrimina, non sentio, non attendo, non curo: Siqua verò sunt Christi, hæc vivum me inveniunt, & paratum.* Vis hujus rei argumentum? Audi heroicum Christianæ fortitudinis exemplum, & rem prodigio simillimam, ex qua facili conjectura desumi potest maximus in Christum Eucharisticum amor, quem Venerabilis noster Antonius suæ etiam vitæ discrimini antehabuit.

Gal. 2. 20.

S. Bern. serm. 7, in quadr.

Contigit, ut ille morituri cuitam cœlestem æternitatis alimoniam præberet, sed infortunato eventu: quippe æger ex ventriculi imbecillitate Eucharisticum Pabulum unâ cum foetenti ructu, saniesque evomit. Quis absque nauseabundo stomacho audiet ista? Sed ecce admirandam generositatem dignam Angelorum, totiusque cœlestis curiæ spectaculo. Condoluit intimo corde Vir Zelosissimus Filio Dei in obscuro vomitu jacenti, à quo in opem vocari sibi visus est illis Psalmographi verbis: *Eripe me de luto, ut non insigat.* Nec mora: Sacrosanctas panis Eucharistici species è sordibus colligit, & non obstante purulentò

Psal. 63. 15.

longo fectore, qui circa circumadheserat, non remorante manifesto vitæ periculo magna reverentia, & animi devotione sumptas deglutit. Quid ad hæc, amice Lector? Tuo equidem iudicio relictum volo, an facinus istud haud mereatur vocari *heroicum Christianæ fortitudinis exemplum, & res prodigio simillima*, tum quia admiratu, quàm imitatu facilius est, tum quia id genus alia heroicæ virtutis exempla in vitis sanctorum aut nulla, aut rata reperiuntur. Celeberrimus Raderus simile quid enarrat de Sancto Salisburgensium Archi-Antistite Eberhardo, & Sanctus Hugo Abbas Cluniacensis simile quid de suo Spiritus Magistro Goderanno, verùm hic ultimus expressis verbis adjicit: *Laurentii craticula tolerabilior fuisse*. Tu Judex esto, ego ad alia pergo.

Raderus Bav.
sanct. Tom. 2.

Buccellin, Me-
nolog. Bened.

§. XIII.

De amore erga B. V. Mariam.

Frustrà quis Filium quarit sine Matre, frustrà JESUM sine Maria. Tres illi orientis Reges Christum Dominum inquirebant, & ecce *stella antecedebat eos, donec veniens staret supra, ubi erat puer*: Ad quæ facti Grammathæi verba commentans Sanctus Eusebius advertit: *Non supra puerum, sed supra, ubi puer erat, stellam stetit*. Ubinam ergo erat Divinus Pufio? Respondeo, erat in sinu Matris: *stet stella supra stellam, Maria enim stella maris interpretatur*, ut suis illa radiis indicaret, neminem ad Dei Filium perventurum, nisi inventa Matre. Hac de causa sanctæ, ac innocentis animæ maximo semper amoris affectu profecuti sunt Intemeratam Dei Genitricem, benè gnaræ, frustra se cœlestium donorum charismata quærere, nisi per Mariam. Si Christus Dominus mare est, Maria fluvius est, per quem marinæ undæ supra terram effunduntur: Si Christus Dominus fons est & origo gratiarum, Maria aquæductus seu canalis est, per quem gratiarum ubertas ad nos derivat. Si Christus Dominus infinitum est Gazophylacium, Maria thesauraria est, quæ cœlestium donorum prærogativas liberali manu dispensat.

Muth. 2. 9.

S. Euseb.

Enchir. apud

Mich. de cal-

vo conc. 18.

Quid memorem ardentissimos hujus Mariani Sodalitæ affectus, quibus Virginem Dei Matrem tenerrimè dilexit: Loquantur Sabbatini & profesti Virginis dies, quos austero jejuniò coluit. Loquantur Sacræ Congregationes, ac confraternitates, quas in honorem Mariæ aut noviter erexit, aut erectas indefessa sedulitate propagavit: Loquantur sacræ panegyres, quibus mellifluè eloquens velut alter Bernardus Virginis dotes dilaudavit. Et quid multis? Loquatur vice omnium devotissimus ipsius liber, plenus Marianis affectibus, quem sub titulo *Mater amoris & doloris* Taumaturgicæ Virginis statuae in Ecclesia Ducalis Hospitalis Monachii dedicavit. Quemadmodum ex ungue leonum,

ex pollice gigantem dignoscere datur, ita ex unico erga Divinam Matrem affectu cæteros mensurare potes; hinc adicere paucis libet illius verba ex submississima dicti libri dedicatione exscripta: *In quem finem tibi ò pretiosissima Virgo! humiliter supplex fio: accipe ab indignissimo servo tuo quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & ne spernas obsecro hoc levidense opusculum, quod horis subsecivis de tuis laudibus, ac SS. cordis tui doloribus composui: Erubescet solummodò, ò Mater Amoris, & doloris, quod non omnes isti apices, & characteres meo sanguine rubeant, quem pro tuo honore, & amore omni momento paratus sum effundere. Et quia pro tot à te receptis beneficiis plus dare non possum nec valeo, quàm meipsum: En habes ò Domina! hic vilissimum mansiptum, & peccatorum coriphaum ad tuos sacratissimos pedes humiliter prosternitum. Audi me ò Benigna! & save, ac tunc præsertim, quando suprema illa mortis imminet hora. Hæc ille: ex quibus paucis, prudens Lector sat multa de Mariano illius amore poterit conjicere.*

§. XIV.

De charitate proximi.

Joann. 13.

Eccl. 13.

Barz. ferm.
26. n. 44.

Divinus orbis Redemptor in ultimo coenaculo inter alia præcepta suis Apostolis relicta singulariter inculcavit illud: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Itane mandatum hoc novum est? nunquid & veteris testamenti præceptionibus diligere jubemur? Nonne charitatis legem ipsa natura in cordibus nostris descripsit, dicente Ecclesiastico: *Omne animal diligit simile sibi?* Qua igitur ratione novum præceptum dicitur, quod ipsa naturali propensione intimatur? Verùm auctori responsionem Doctissimi cujusdam moderni: Hòc ipso, inquit, mandatum novum est, quòd non propter naturæ stimulos, sed propter Divinæ voluntatis beneplacitum diligere præcipimur: hinc addit celestis Magister: *Sicut dilexi vos.* Quemadmodùm Christus Dominus non meritorum nostrorum intuitu, non propter carnem, & sanguinem, non propter lucri aut commodi studiò humanum genus amavit: ita alterum ab altero inter nos diligi cupiebat, non prout natura, sed Divini mandati præceptio dicitur: *Sicut dilexi vos.*

Hoc revera motivum erat, quod animum Venerabilis Antonii ita ardenti charitate erga proximum inflammabat, ut pluris illius, quàm sua commoda quæreret, pluris illius quàm sua pericula averfaretur. Vis hujus rei aliqua exempla?

Ante omnia hic dilaudanda venit profusa illius liberalitas in egenos: alienam inopiam ut piè sublevaret, non unâ tantummodò vice seipsum inopem fecit: præterquam enim, quòd singulis omninò annis ultra centenos florenos propria manu in pauperes, adeoque per quadraginta

draginta sex annos ultra quater mille ac sexcentos profuderit; illud profecto memorabile est, quod si quis tenuioris fortunæ è suis Parochianis ager decumberet, victum illi è propria culina toto ægritudinis tempore, subductis etiam sibi delicatioribus esculentis, parare sit solitus. Ita misellæ hæ animæ, quamvis gravissimos morbi dolores paterentur, de egestate tamen & rerum penuria conqueri non poterant, quas mirissimi Samaritani pietas egere non sinebat.

Neque corpora solum, sed & animas ægrorum quotidie pavit, illud Ecclesiastici sibi dictum putans: *Non te pigeat visitare infirmum; ex Eccl. 7. hoc enim in dilectione firmaberis.* Singulis diebus, si per urgentiora negotia licuit, in sua parochia circuibat, ægros, si qui essent, invisens, & ad patientiæ virtutem, ad Passionis Dominicæ memoriam efficaciter adhortans, denique, ubi opus erat, liberali eleemosyna subveniens. Non semel iterumque factum est, cum pauperuli quidam crura, aut brachia fregissent, vel ex aliis id genus infortuniis vulnera gravesque infirmitates concivissent, suo ipse ære aut ex toto aut saltem dimidia ex parte chyrurgos, & archiatros conduxerit malo remedium laturus; ita verè cum Sancto Jobo dicere poterat: *Oculus eram cæco, pes claudò, pauperi Job. 29. adjumento, omnibus solatio.*

Maximè verò propensâ illius charitas eluxit funesta bellorum tempestate: expeculata erant crumenæ, direpta privatorum fortunæ, ubique calamitosa paupertas. Nec tamen acquievit hostilis avarities: Biberbacensî Parochiæ flammæ, & excidium minitabatur, ni intra unam alteramve diem ingens summa pecuniaria penderetur: quid agant miseri? de lytro solvendo conclamatum erat: igitur intra paucas horas expectabant ædium suarum luctuosum & crudele incendium. In his rerum angustiis novus ecce Paulinus prodiit, nempe Venerabilis Antonius, qui se hostibus pignori dedit, & contracto ære alieno aliquot centenorum suos ab impendente excidio liberavit.

Recordor hic Divini illius sermonis, qua Christus Dominus olim discipulos suos allocutus quæsit: *Quando misi vos sine sacculo, & pera & Luc. 22, 35. calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et dixerunt illi: Nihil.* Profectò tametsi liberalissimus hic Dei Famulus magno in numero peregrinos hospitio exciperet, nudos operiret, esurientes pasceret, inopes largis donationibus remuneraretur, nunquam tamen de rei alicujus defectu conqueri auditus est, quin imò non obstante sua largitate affluentius possidebat, quam alii, qui opes avara tenacitate corradunt: quo facto luculenter expertus est illam Divi Cyrilli promissionem: *Quanto plura dabis liberaliter, tanto tibi plura largius confluent.*

De patientia in morbis, & beata illius morte.

Apoel. 14.

Spe anz.
punct. 129.

A Pocalyptricus Vates mysteriosam dicendi methodum usurpat, dum de morte justorum enuntiat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quid enim? An mortui moriuntur? nonne vita per mortem eliditur? qua de causa igitur asseverat mortuos mori? Adverte responsionem Doctissimi Speraſta: Per mortuos, inquit, homines justos denotari, qui terrenis omnibus jam dudum emortui *nullo sensu, nullo labore, aut difficultate moriuntur.* Quemadmodum arbuscula, quæ altas radices in terram nondum demersit, facili plantatione in aliud solum transferatur, ita anima justæ, quæ rebus his terrenis nullo affectu adherent, ex hoc orbe lætitudinæ emigrant.

Cum lethalis ægritudo Venerabilem Antonium affligere cepit, omnes alios, non ipsum luctus invasit: alacri animo se submisit Desponsentis nutui, identidem suspirans: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Integris quinque mensibus hæbat lecto affixus, quo tempore viribus omnibus exhaustus, toto corpore consumptus, ac plenus doloribus jacuit, ita ut nec manum, nec pedem, nec ullam corporis partem absque alieno auxilio commovere potuerit. Et tamen de aliis sollicitior, qui sibi ægro inservierunt, quam de seipso invicta æquanimitate, ac hilari semper vultu admiranda prorsus dedit Christianæ patientiæ specimina. Unum præ mille aliis juvat in medium producere.

Audivimus supra, quod ancillas, & sequioris sexûs personas omnes averſatus suos sacerdotes enixè rogaverit, ut in infirmitate sibi obsequiosa charitate assisterent: Factum est igitur, quod morbi diuturnitate decumbentis tergum omne inflammaretur, & ad vivam usque carnem cutis recederet, tanto dolorum augmento, ut vix horæ quadrante uno eodemque corporis situ quietus jacere posset, sed in aliam partem operidictorum sacerdotum devolvi deberet: Verum contigit aliquando, ut hi de nocte altum indormiscerent, & ad aliquot horas somnum protraherent, ægrò interim tanquam in ardentibus prunis decumbente. Postliminiò evigilantes sibi ipsis indignabantur, quod partibus suis defuissent, veniam etiam precari, & quærere ægrum cœperunt, cur nullo edito sonitu, aut clamore lassos excitasset? Nolui, aiebat, vos somni beneficiò privare. En! amice Lector, & admirare magnam planè patientiam, & majorem charitatem, quæ alienam commoditatem pluris, quam suos dolores & miseriam ponderabat.

Gal. 2. 19.

Tandem illuxit illa dies, qua, prout per omnem vitæ decursum in votis habuit, dicere poterat cum Apostolo: *Christo confixus sum cruci.*

De Patriarcha Jacobo memoratur, quod decussatis manibus ac pedibus mortuus sit, nempe, ait Dionysius Carthusianus, ex habitu vitæ antea: ita planè beata mors Venerabilis Antonii, sicut tota illius vita, insigniter ad crucem collimabat.

In extremis doloribus Sacrosanctam Crucis effigiem semper oculis, semper manibus, ore, & corde habebat: ultimam luctam inchoavit hora decima, illa videlicet hora, quæ teste Sancto Eucherio signum est, & figura crucis, cum numerus denarius in formam crucis (X.) scri- s. Eucher. in Gen. 18. batur. Ultima agonizantis verba erant invocatio Crucifixi: *O Jesu adjuva me!* Animam Deo reddidit feria quinta ea nimirum die, qua Christus Dominus ad passionem crucis iter aggressus est. Sepulturam elegit directè sub umbra, & facie suæ SS. Crucis, quin imò non ille sed Crucifixus elegisse videtur, juxta promissum Divinum: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit.*

Verè coronatus Psaltes enuntiat: *In memoria aeterna erit justus*, id est, Psal. 111. Bellarm. in hunc Psalm. prout Eminentissimus Bellarminus declarat: Etiam si homo justus inevitabili mortis decreto orbi eripiatur, nihilominus in hominum cordibus inextinguibili caractere scriptus vivat per memoriam gloriosam: Fama illius non una emoritur cum corpore; tunc enim vel maximè in hominum animis vivit, cum vivere desit: Tunc omnium ora diserta sunt, tunc nemo non dilaudat defuncti insignia facta, & omnes sibi dictum putant illud Divi Maximi: *Lauda post vitam, magnifica post consummationem.* S. Max. Epif. hom. 59. de S. Euseb. Vercell. Incredibile dictum est, quantus fuerit confluentis populi ex omni regione ad exequias concurrentis: Milleni fuerunt oculi, qui expositum publicè cadaver intuebantur, sed pauci absque lacrymis. Certè ad has lacrymas dicere fas erat, quod olim à Judæis de Christo Lazarum resuscitante dictum est: *Eccè quomodo amabat eum!* Et si homines taceant, Joan. 11. 36. vel ipsi lapides clamabant, videlicet insignis Ecclesia, & peregrinatio Biberbacensis, quæ, quoad stabit, Venerabilem Antonium Auctorem, ac fundatorem suum immortalis præconiò celebrabit.

Alter felicitas, quam Sacer Psalmographus de homine justo commemorat, hac quasi infinitis parasangis major est: *Ab auditione mala non timebit*, id est, prout iterum Purpuratus Bellarminus explicat: Bellarmino, ubi supra. Non timebit à sententia formidolosa Judicis æterni. O beatus planè homo, qui scutum habet securum contra tremendum hoc fulmen Divini Judicis: hoc scutum fecit Venerabilis noster Antonius mortem non unam tantum, sed repetitis vicibus generosè provocabat: solabatur illum sententia Divi Jacobi: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua salvabit animam suam.* Jac. 5. 19. Ubi addit Venerabilis Beda, talis peccata sua ab aspectu Judicis per animam salvatam contegit. Etenim peccata sua contegere pote-

poterat non per unam tantum, sed plures salvatas animas, quas Zelotus Verbi Divini prædicatione, exhortationibus in sacro tribunali, exemplo virtutum, amore, & timore à via perditionis ad semitam mandatorum Dei reduxit, ut credere nobis pronum sit, Venerabilem nostrum Antonium integrum animarum exercitum secum triumphò duxisse, & nunc cum illis tanquam totidem zeli sui testimoniis in cœlesti patria gloriosè latari.

Tu verò amice Lector, dum has paginas avido, & admirando oculo percurris, certum tene, ea omnia, quæ de Venerabili Antonio hic enarrata sunt, non exaggerationis, aut assentationis studio scripta, quia potius plura, quæ ad singularem defuncti commendationem, legentiumque admirationem facere poterant, brevitate studio fuisse omissa. Si eorum omnium compendiosam noticiam desideras, pluribus opus non est, quàm ut Apostolum Paulum inspicias, ubi Episcopi, aut Sacerdotis dotes describens breviter, & graphicè hunc Dei famulum designat his verbis: *Oportet igitur Episcopum (Sacerdotem) sine crimine esse, sine Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percontorem, non turpis lucri cupidum: Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem: Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Ep. ad Tit. 1.

Denique supremum illum, ac providissimum Patrem familias impensis laudibus mecum celebra, qui nullo non sæculo, nulla non ætate in vineam suam operarios conducit, excitatque insignes aliquos, qui admota operi manu evellere Zizania, eliminare scelera, plantare virtutes, totis viribus, & indefessa industriâ allaborant: Sunt lupi rapaces, qui insidiantur gregi, est stygius veterator, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: Laudetur igitur providissimus Dei Bonitas, quæ è contrario nunquam non excitat, adjuvatque suos cooperatores, & ministros; qui insatiabili animarum zelo, exquisita vitæ probitate, verbo, & exemplo, diu nocturne desudant, ut animarum pretioso Dei sanguine redemptæ è scelerum veterno erutz in viam salutis reducantur, &

2. Petr. 5.

in omnibus glorificetur DEUS.

INDEX